

4) Episcopi.

a) Celebrans.

Coadjutor potest de *consensu Ordinariorum* jurisdictionem habentium, ubicunque Pontificalibus uti. n. 96 die 30. Sept. 1596.

Coadjutorem Archiepiscopi Caesar-august. solemniter celebrantem in Ecclesia Caesaraug. contentum esse debere Ministris solitis, id est Diacono, Subdiacono et uno Capellano, cum Pluviali, qui ei assistat ad librum. n. 312 die 9. Maii 1606.

b) Sedes.

Coadjutor cum futura successione in Synodo Provinciali sedeat juxta tempus suae Promotionis. n. 95 die 30. Sept. 1596.

Vd. *Synodus*.

5) Poenitentarii.

Deberi eidem Coadjutori locum in sede fixa ejusdem Poenitentarii. n. 1280 die 12. Jan. 1641.

6) Primicerii.

Coadjutorem primi Primicerii exercentem functiones pro primo Primicerio non in stallo proprio ipsius primi Primicerii Coadjuti, sed in stallo secundi Primicerii exercere, stare, sedere et incedere debere; secundum vero Primicerium absente vel impedito primo Primicerio stare, sedere etc. debere in loco primi Primicerii; nec non, vacante stallo primi Primicerii, secundum Primicerium statim subintrare stallum et locum primi Primicerii juxta Cathedralis Monopolitanae consuetudinem. n. 965 die 17. Julii 1632.

Coadjutorem Primicerii in Cathedr. Lauretana sedere debere in choro post omnes alias Dignitates. n. 2409 die 2. Apr. 1667.

COADJUTRIX.

Vd. *Abbatissa*.

COCHLEAR.

Usus cochlearis parvi pro aqua in calicem infundenda non est de praeepto rubricae. S. R. C. 7. Sept. 1850.

COELESTINI ABBATES.

Vd. *Missa privata Abbatis; Usus Pontificalium*.

COEMETERIUM.

Vd. *Bened. et Reconcil. Eccles.*

COENA DOMINI.

1) Clavis pro Tabernaculo.

Vd. *SS. Sacramentum* (asservatio in Coena D.)

Nequaquam Gubernatori civitatis clavem esse consignandam, sed potius illi Dignitati vel Canonico, qui in crastinum fer. VI. in Parasceve erit celebraturus. n. 420 die 30. Jan. 1610; n. 2257 die 26. Jan. 1664.

Clavem, quae Inquisitori tradebatur, consignandam esse Sacerdoti in crastinum celebraturo. n. 720 die 29. Jan. 1628; n. 4986 ad 4 die 7. Decb. 1844.

SS. Sacramentum Fer. V in Coena Dom. sub unica tantum clave asservari debere, retinenda per Sacerdotem in crastinum celebratum et nullo modo apud personas laicas et saeculares, cujuscunque status, gradus et conditionis existant, non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusum esse. Hoc decretum afficere omnes Ecclesias tam saeculares quam regulares, quovis modo a jurisdictione Ordinarii exemptas. n. 940 die 6. Decb. 1631; n. 1048 die 22. Novb. 1636; n. 4069 die 7. Decb. 1737; n. 4179 die 11. Decb. 1745; n. 0c29 die 14. Junii 1845.

MELITEN.

Precibus Carmelitarum antiquae Observantiae Civitatis Vallettae Dioecesis Meliten. exquirentium confirmationem conventionis initae cum Sodalitate B. M. V. ibi erectae, in qua statuitur ut clavis Tabernaculi SSmi. Sacramenti Feria V. in Coena Domini tradatur custodienda Priori ejusdem Sodalitatis; Emus: et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. C. Vice Cancellarius, et S. R. C. Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo. D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: „Obstare Decreta hujus S. C.“ n. 4923 die 22. Maji 1841.

Apponi non debet Sigillum in Ostiolo, ubi fer. V. in Coena Dom. reconditur SSmm. n. 4986 ad 1 die 7. Decb. 1844.

2) Communio.

a) Cleri Obligatio.

Vd. *Stola Sacerdotis communicantis; Purificatio B. V. M.* (ordo accipiendi . . . Laicorum, decr. n. 4338); *Officia hebdom. maj.* (in paroch.; decr. n. 4583).

Episcopus potest et debet cogere Clerum Cathedralis ad sumendam ex ejus manibus in Coena Dom. infra Missarum solemniam sacram Communionem et quoscunque Sacerdotes in benedictione Oleorum ministrantes. n. 1817 ad 1 die 10. Mart. 1657.

Sacerdotes vocatos ad ministrandum in consecratione ss. Oleorum in coena Domini teneri s. Communionem accipere e manu Episcopi celebrantis. n. 1846 die 15. Sept. 1657.

Cadente festo s. Josephi in fer. V. in coena Dom. propter praeeptum audiendi missam aliquae missae privatae celebrandae sunt, sed tamen propterea communicatio Cleri in missa

Clavem, sub qua reconditur SS. Sacramentum in Sepulchro fer. V. in coena Dom., esse consignandam Sacerdoti celebraturo in die sequenti fer. VI. Parasceve. n. 987 die 9. Julii 1633.

Clavem Tabernaculi, in quo SS. Sacramentum in fer. V. in coena Dom. asservatur, nequaquam Laicis etiam illustribus tradendam esse sed potius Dignitati vel Canonico in crastinum celebraturo. n. 1412 die 13. Sept. 1642.

Rectorem Ecclesiae parochialis (praefato) Matthaeo clavem tabernaculi tradere non teneri. n. 1890 die 3. Aug. 1647.

Claves custodiae SSmi. in fer. V. hebdom. s. in Cathedr. Conversan. retinendas esse per Sacerdotem in crastinum celebratum, non autem a Laico, cujuscunque sit Dignitatis, etiam existente consuetudine in contrarium. n. 2434 die 21. Apr. 1668. Idem decret. pro civitate Lorcitana. n. 4007 die 15. Mart. 1732.

Non permittendum est Cancellario Theatinae in coena Dom. publico civitatis sigillo obsignare arcam, in qua repositum est s. Corpus Dom., illudque sigillum sequenti die inter s. Solemnia publice inde auferre. n. 3752 die 18. Sept. 1706.

Ad dubium: Num. Feria V. in Coena Domini, postquam SSmm. Eucharistiae Sacramentum reconditum est in Sepulchro, Clavis Tabernaculi hujus Sepulchri tradenda sit a Canonico Assistente Priori Sodalitatis SSmi. Sacramenti inibi erectae, qui eam deferat ad collum appensam usque ad S. Functiones insequentis Fer. VI. in Parasceve, uti in praesentiarum fieri assolet?

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . . rescribi mandavit: „juxta alias decreta Clavem in casu nulli esse omnino tradendam.“ n. 4918 ad 1 die 22. Maji 1841.

solemni ejus diei . . . nullatenus omitatur. n. 3289 die 13. Sept. 1692.

Ad dubium: an fer. V. coena Dom. Canonici, qui non celebrant, possint cogi ad susceptionem s. Eucharistiae de manu Episcopi? S. C. resp.: Debent. n. 3597 ad 16 die 10. Sept. 1701.

Ad dubium: an omnes Dignitates, Canonici, Portionarii et alii Sacerdotes Cathedr. Fer. V. in coena Dom. debeant non celebrare sed s. Communionem sumere de manu Episcopi vel alterius Celebrantis prout ordinatur in Caer. Ep.? S. C. resp.: Servandam esse Caer. Ep. regulam, quae universalis Ecclesiae consuetudini conformis est; ut scilicet fer. V. in Coena D. in memoriam, quod D. N. J. Chr. manu sua propria omnes apostolos communicavit, omnes presbyteri tam Dignitates quam Canonici et Mansionarii Communionem sumant de manu Episcopi vel alterius Celebrantis. (die 27. Sept. 1608) n. 4353 die 22. Decb. 1770.

Revera Omnes de Clero inservientes missae pontificali et praesertim Sacerdotes, Diaconi et Subd. SS. Oleorum consecrationi assistentes tenentur s. communionem sumere de manu Celebrantis. n. 4815 ad I. die 22. Sept. 1837.

b) Cleri Ordo accedendi.

Feria V. in Coena Dom. eos Presbyteros ac Diaconos, qui sacris indumentis amicti in Consecratione ss. Oleorum ministrant, tametsi iidem non fuerint de gremio Cathedralis, in communionem aliisque actibus praefereandos esse reliquis Sacerdotibus ac Diaconis, qui sacris nullatenus induti de gremio tamen Cathedralis existunt. n. 1852 die 27. Novb. 1657.

Ad dubium: utrum 7 Subd., Diaconi et 12 Presbyteri, qui fer. V. in Coena Dom. in consecratione ss. Oleorum inserviunt, ss. Eucharistiam debeant suscipere ante Canonicos . . .

in habitu clericali e choro egredientes, an post Capitulum? S. C. resp.: Omnes paratos ratione paramentorum deberi refici ss. Eucharistia ante Omnes de choro non paratos. n. 3209 die 8. Apr. 1690. Idem resp. S. C. sub n. 3378 die 21. Jan. 1696 ad petitionem Capituli CaesarAugust.

In communionem, quae inter missae Sacrificium peragitur, ministrum Sacrificii non ratione praeeminentiae sed ministerii praefereendum esse caeteris quantumvis dignioribus. n. 1907 die 13. Julii 1658.

c) Dispensator.

Vd. *Azymus.*

Ad dubium: Cui incumbat onus communicandi Omnes de Capitulo in missa solenni in Coena Dom., si forte Episcopus esset impeditus? S. C. resp.: Servari Caeremoniale. n. 1046 ad 2 die 6. Sept. 1636.

Abbas Collegiatae, cantans missam solemnem in coena Dom., potest communionem Cleri et populi facere, qui forsitan Clero tunc temporis adjungitur, contradicente etiam Dignitate secunda, curam animarum exercente. n. 1453 die 13. Junii 1643.

Teneri Episcopum fer. V. in Coena Dom., etiam nimium defatigatum, SS. Sacramentum per se ipsum ministrare. n. 1469 ad 2 die 8. Aug. 1643.

d) Laicorum.

AMERINA.

Dum Feria V. in Coena Domini Magistratus Civitatis Amerinae accedebat ad S. Synaxim formiter suscipiendam in solempni Missa in Cathedrali Amerina Ecclesia, Cathedralis ipsius Caeremoniarum Magister disposuit, ut post omnem Clerum ad Eucharisticam Mensam admitteretur, et ut in solempni Supplicatione SSmi

Corp. Chr. Magistratus ipse procederet vel ante Crucem Cleri, vel post Baldachinum ceu fert praxis, et Ecclesiasticae leges exigere videntur. Quum autem idem Caeremoniarum Magister summopere exoptet, ut ab hac S. R. C. declaretur, ut quatenus se recte gesserit per opportunam declarationem idipsum adeo confirmetur, ut futuris quibusvis temporibus ab hac ipsa praxi recedere non liceat, humillimas ad id preces porrexit. Quas quidem preces in Ordinariis S. R. Comitibus ad Vaticanum infrascripta die coadunatis per subscriptum Secretarium relatas postquam S. ipsa C. maturo examine expendit, declarandum et rescribendum censuit: „Si Magistratus Feria V. in Coena Domini velit ad S. Synaxim accedere, admittat post universonum Clerum, pro quo Communio praescripta est: in Processione autem SSmi. Corp. Chr. locum teneat post Baldachinum, cujus hastas intra Ecclesiam deferre debet.“

Atque ita rescripsit et servari mandavit. n. 5203 die 12. Aug. 1854.

Vd. *Communio Laicorum.*

e) Modus.

In Communionem, quae confertur ab Episcopo fer. V. Coena Dom. et in ordinum collatione solempniter celebrante, sunt ab Episcopo verba: *Ecce Agnus Dei etc.* et *Dom. non sum dignus etc.* quoad Presbyteros tantum in ordinatione habita esse reticenda, in aliis vero casibus semper proferenda. n. 3614 ad 4 die 11. Febr. 1702.

3) Consecratio Oleorum sanct.

a) Assistentia Canonicorum.

Canonicos ex Collegiatis (stante penuria) teneri assistentiam Oleorum Consecrationi praestare, juxta tabellam more solita faciendam et sub-

scribendam per Priorem Cathedr. n. 1560 die 11. Aug. 1646.

Capitulum et Canonici Colleg. S. M. Capuae non possunt cogi accedere et assistere *arbitrio* Archiepiscopi, benedictioni Olei s. in Ecclesia Cathedr. n. 4066 ad 1 die 31. Aug. 1737.

Abbates et Canonici Collegiatarum Civitatis Vigilien. non mittentes duodecim presbyteros paratos pro assistentia et servitio praestando benedictioni ss. Oleorum in fer. V. maj. hebd., et non inventes presbyteros, qui velint interesse et inservire benedictioni, tenentur interesse et inservire per se ipsos. n. 4194 die 16. Sept. 1747.

Formam libri Pontificalis servandam esse nec Canonicos Cathedr. a functione inserviendi et ministrandi exemptos esse, quatenus sine eis numerus sufficiens non reperiatur. n. 308 ad 1 die 9. Maii 1606.

b) Dies et Obligatio Consecrationis.

Porrectis per Carolum Wolmesley Episcopum Ramatensem, Vicarium apost. in Anglia ad praesens Coadjutorem Laurentii Jork Episcopi Nisibensis humillimis precibus, quibus supplicatum fuit, quatenus eidem Episcopo Ramatensi indulgere dignaretur, ut functiones fer. V. in Coena Dom. in bened. chrysmatis perficere valeat in fer. II. vel alio die conveniente ejusdem hebd. maj., eo quod nec ipse sine gravissimo incommodo fer. V. a sua residentia abesse possit nec sufficientem numerum Sacerdotum illa die ad praedictum effectum simul convocare. „Sanctitas Sua, dummodo vera sint exposita, gratiam petita Dispensationis indulsit. n. 4325 die 9. Mart. 1765.

Olea ss. quotannis ab Episcopo con-

fici et suae Dioecesis Presbyteris distribui debent, crematis veteribus; et vetera non possunt adhiberi, postquam nova sunt consecrata. S. R. C. 7. Sept. 1601.

c) Locus Consecrationis.

Ad petitionem Episcopi Torcellen., ut Oleorum consecrationem peragere possit in capella Episcopali, cum magnum suae salutis afferat praedictum ob aeris intemperiem huiusmodi agere in Cathedrali, S. C. resp.: *Lectum.* n. 2150 die 21. Jan. 1662.

S. R. C. benigne concessit, ut Olea sacra possint ab ipso Episcopo Brugnatesi benedici et consecrari, etiam extra suam Cathedrali et in Ecclesia Terrae Sestri suae Dioecesis, ubi Episcopi pro tempore, pro meliori aeris temperie et majori ipsorum et cultus divini decore residere solent. n. 2471 die 23. Mart. 1669.

Non licet fer. V. in Coena Dom. conficere Oleum s. in *Capella privata* etiam adhibitis omnibus Ministris, prout disponitur in Pontificali, n. 3312 ad 1 die 13. Junii 1693.

Consecratio ss. Oleorum non potest adimpleri in Capella omnino incapaci omnium Sacerdotum, Diac. et Subd., qui requiruntur. n. 3312 ad 3 die 13. Junii 1693.

Episcopus Trivicanus consecrationem ss. Oleorum in Coena Dom. tenetur facere in Ecclesia Cathedrali, cessante legitimo impedimento. n. 3764 ad 1 die 19. Febr. 1707.

d) Modus Consecrationis.

Cf. *Coena Dom.* (Consecrat. sedens.)

Ad enixas instantias Episcopi Mindoniensis, ab Emo. et Rmo. D. Car. Colloredo infrascripto supplicii Libello in S. R. C., prout jacet, relato, videlicet: Emi. et Rmi. D. Episcopus Mindonien. devotus EE. VV. orator

humiliter exponit, quod cum ipse pro prima vice voluisset anno praeterito feria V. in Coena Dom. conficere, et consecrare Olea Sacra, reperit, et vidit, quod duodecim Presbyteri assistentes nedum inspirabant, sive habebant super os ampullarum, et salutabant eadem Olea Sacra, sed ulterius illa exorcizabant, benedicebant, Orationes legebant, caeterasque omnes caeremonias faciebant ad instar ipsiusmet Episcopi; idque ita praticari audivit vigore antiquissimae consuetudinis innixae certo Caeremoniali olim edito a bon. mem. Christophoro Valtodano Episcopo Lalentino, et impresso anno 1563, quod pariter observari asseritur in aliquibus aliis Ecclesiis Regnorum Hispaniarum.

Verum quia huiusmodi consuetudo in eo, quod pertinet ad exorcismata, Benedictiones, et Orationes, videtur repugnare formae praescriptae in Pontificali Romano, quod S. M. Clemens VIII. districte praecipit observari in omnibus universi Terrarum Orbis Ecclesiis, privative quoad omnia alia Caeremonialia, et Pontificalia, derogando insuper quibusvis consuetudinibus.

Ideo Episcopus Orator, ad tollendas imposterum quascumque controversias inter ipsum, et Capitulum suae Cathedralis Mindonien. supplicat declarari: an in futuris Consecrationibus ss. Oleorum servari debeat supradicta consuetudo et Caeremoniale Episcopi Valtodani, sicuti hactenus fuit observatum, vel potius sit observanda forma designata a Pontificali romano, nempe quod duodecim presbyteri Episcopo assistentes debeant tantummodo assistere Consecrationi ac debito tempore inspirare seu halare et respective salutare ss. Olea, non autem possint illa exorcizare et benedicere nec non orationes legere vel proferre cum Episcopo. S. C. resp.:

Servandum esse Pontificale romanum. n. 3667 die 24. Novb. 1703.

e) Consecrator delegatus.

Episcopus, aegritudine impeditus potest et ex necessitate propriae ecclesiae etiam debet demendare alteri Episcopo consecrationem ss. Oleorum in aliqua ecclesia. n. 3312 ad 2 die 13. Junii 1693.

f) Consecrator sedens.

HISPALEN.

Summa genuum debilitate ob non firmam valetudinem diu laborans Emus. et Rmus. D. Card. Archiep. Hispalen ab hac S. Apost. Sede speciale Indultum obtinuit Sacrum faciendi continuo sedendo. Verum maxime percipiens necessitatibus suae Archidioecesis occurrere, quae urgentiores evadunt ob frequentes vicissitudines, quae Hispaniarum Regnum modo perturbant, praesertim ob Ep. pene omnium deficientiam, SSmo. D. N. Gregorio Papae XVI. humillime supplicavit pro extensione Indulti, conferendi nimirum S. Ordines, et conficiendi S. Olea Fer. V. in Coena D. etiam pari modo sedendo. S. S. preces ad S. R. C. remisit, quae exquisito prius Voto alterius ex Apost. Caer. Magistris, in Ordinariis Comitibus ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunatis, ad relationem subscripti Secretarii, rescribendum censuit: „In casu, de quo agitur, attentis peculiaribus gravissimis circumstantiis, iisdem perdurantibus, annui potest de speciali gratia, dummodo privatim fiant Ordinationes et Benedictiones Oleorum Fer. V. in Coena D. cum assistentia trium saltem Sacerdotum, facto verbo cum SSmo.“ Die 18. Febr. 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum SSmo. D. N. Gregorio XVI. P. M. per subscriptum Secretarium

fideli relatione, S. S. benigne annuit de speciali gratia, nullo unquam tempore in exemplum afferenda. Die 11. Martii ejusdem Anni 1843. n. 4963.

g) Diaconi et Subdiaconi.

I. Numerus.

Vd. *Coena D.* (Assistentia Canonicor.)

Archiepiscopus Corcyren. petiit, ut sine Diaconis et Subdiaconis ss. Olea conficere possit, ne cogatur ea ab Ecclesia Hydruntina accipere et sua Ecclesia hac solemnitate privetur. S. R. C. resp.: A regulis praescriptis in libro Pontificali circa confectionem ss. Oleorum non esse recedendum, et posse Archiepiscopum in sua Ecclesia et Dioecesi uti oleo antiquo anni praecedentis, donec novum recipiat. n. 369 die 19. Jan. 1608.

Episcopo Retthimensi, petenti licentiam conficiendi Olea sacra cum minori numero Ministrorum, S. C. resp.: petitam facultatem concedi posse, quatenus sufficiens numerus *Presbyterorum* in Dioecesi non reperiatur, vel aliter commode habere nequeat, super quo ejus conscientia oneratur et dummodo in reliquis, quantum fieri potest, Pontificali se conformet. n. 1429 die 24. Jan. 1643; n. 1486 die 23. Jan. 1644.

II. Paramenta.

Septem Subdiaconos et Diaconos parandos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola transversa et dalmatica. n. 2940 ad 1 die 11. Jan. 1681.

h) Distributio.

I. Locus.

Dato, quod propter aliquam canonicam necessitatem Episcopus consecrationem ss. Oleorum faciat in aliqua

alia Ecclesia Dioecesis, dicta Olea ss. dispensari debent in Ecclesia Cathedrali parochis totius Dioecesis. n. 3764 ad 2 die 19. Febr. 1707; n. 4000 ad 3 die 23. Apr. 1731.

II. Tempus.

Ad dubium: an Decani distributionem ss. Oleorum differre possint usque post Dominicam in Albis? S. C. resp.: Negative, n. 4623 IV. die 16. Decb. 1826,

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Sacrorum Oleorum dispensatio nequit differri usque ad Dominicam in Albis, nisi prius nequet ob locorum distantiam, viarum difficultatem et asperitatem, nec non ob aeris temporumque vicissitudines, et intemperiem, nec ditationis causa peti potest ab inducta consuetudine, quae potius appellari debet abusus damnandaque corruptela. Rubricae generales cum Pontificalis tum Ritualis certam ponunt regulam, ut ante Paschalem solemnitatem sacra Olea per Parochias distribuuntur, nisi intercedat altera ex causis superius allatis. Non mihi est animus hic quaerendi, num sacrorum Oleorum benedictio, et consecratio, ceu nonnulli Auctores volunt a *S. Fabiano Pontifice* fuerit instituta, quod probatum non est: sed quoniam de ea mentio fit in magni Gregorii Sacramentario, et in veteri Ordine Romano; ideo sub finem saeculi sexti, vel saltem septimi initium de re liturgica Scriptores volunt saeculo septimo invaluisse morem benedicendi, et conficiendi sacra eadem Olea Feria V. in Coena Domini. Quidquid autem de hoc sit, satis nobis sunt Rituales, et a Sede Apostolica probati Codices, quibus in Sacramentis et Sacramentalibus uti debemus.

Porro Pontificale Romanum titulo *de officio in Feria V. in Coena Domini* notat et praecipit: *hac die singulis annis benedicatur Oleum Cathecumenorum et infirmorum, et conficitur Chrisma: jubet vero Rituale Romanum de iis agens, quae ad sancta pertinent Olea: sanctum Chrisma et sanctum Oleum, quod et Cathecumenorum dicitur, quorum usus est in baptismo, eodem anno sint benedicta ab Episcopo de more Feria V. in Coena Domini.* Huic Rubricae altera succedit, videlicet: *curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat, et tunc vetera in Ecclesia comburat.* Quod autem tempus sit, ad quod referri debeat illud *curet quamprimum* clare patet ex alia Rubricae dispositione. Cum singulis annis Sabbatho Sancto baptismalis Fons sit benedicendus, et in eo nova olea Feria V. in Coena Domini sacrata debeant infundi, ut Rubrica praescribit, et habetur in *cap. Si quis de consecratione distinct 4.*, consequitur curandum esse, ut quamprimum, scilicet Sabbatho Sancto eadem Olea ad Paroecias delata sint. Hoc ex Rubricarum inter se collatis dispositionibus clare deduci, et hanc esse obviam, et legitimam, non arbitrariam interpretationem a sacris Synodis passim confirmatam, quae mandant, ut Parochi ante Paschatis Solemnitatem Sacra Olea petant et recipiant. Sic Synodus Carthaginiensis IV. Canone 36. praecipit: *Presbyteri, qui per Dioeceses Ecclesias regunt . . . a suis (Episcopis) ante Paschatis solemnitatem Chrisma petant.* Idem mandatum legitur in Synodo Vasensi Canone 3. *ut per singula Territoria Presbyteri, vel Ministri ab Episcopis . . . per annos singulos Chrisma petant appropinquante Solemnitate Paschatis.* Adeundus aeternae memoriae Pontifex *Benedictus XIV.*

qui spartam hanc Institut. ecclesiastic. 81. solita sua eruditione doctissime illustravit.

Quod si ex iis, quae huc usque allata sunt clare patet, Parochos teneri Olea Sacra petere et accipere ante Paschalem Solemnitatem, nisi rationalis causa intercedat, qua cohonestari queat dilatio; eruntne sine censura dimittendi Decani foranei, qui Sacra Olea jam confecta ex una dumtaxat improbanda loci consuetudine ad Parochos mittere usque ad Dominicam, quae in Albis dicitur, differunt? Ex hac autem arbitraria consuetudine, quae legitimam causam non habet, illud consequitur grave incommodum, ut, si interea contingat baptizari infantem, vel infirmum extrema unctione muniri, cogatur Parochus veteribus oleis uti, quod nefas est, dum haberi possunt recenter consecrata. Si verum est a peccato excusari non posse Parochum, seu Sacerdotem, qui sua culpa negligat, aut sub reprobandae consuetudinis praetextu olea recentia recipere, quibus utatur in administratione baptismatis, et extremae unctionis, eruntne a reatu immunis habendus Decanus foraneus, qui sine causa, aut ulla necessitate, differat traditionem Oleorum ad Paroecias, usque ad Dominicam in Albis? Audiendus *Barruffaldus*, qui titul. de *sacris oleis* haec habet: *Haec olea debent esse eo ipso anno benedicta . . . si Sacerdos uteretur veteri oleo, peccaret graviter, et quoque puniri debere, etc.*; et agens de Sacramento extremae unctionis inquit: *debet esse hoc Oleum illo anno benedictum ab Episcopo in Feria V. in Coena Domini, quia, quamvis Doctores allegati per Clericat. decis. 65. num. 16. concludant valide posse administrari Sacramentum extremae unctionis cum oleo veteri benedicto . . . nihilominus illicito semper fit, quia est contra praceptum de singulis annis comburendo*

veteri oleo et novo consecrando: at tamen in casu necessitatis, deficiente novo, poterit adhiberi oleum benedictum vetus juxta responsum Sacr. Congregationis Episcoporum 20. Maji 1590 apud Gavant. in Manuale Episcoporum verbo: extrema unctio, num. 10. etc. Sed non omnis necessitas excusat a culpa, verum illa tantum, quae non oriatur ex negligentia et socordia Sacramentum ministrantis, ideo, ut *Barruffaldus* prosequitur: *Si necessitate non urgeatur Parochus adhibens vetus oleum, non videtur a peccato excusandus . . . quia debet Oleum esse benedictum eo anno, ut praecipitur in cap. literis de consecr. distinct. 3. Si vero Parochus careat oleo noviter benedicto ob aliquem fortuitum casum, adeo, ut ista deficientia absque sua culpa sit, poterit veteri oleo morituros ungere, usque dum novum ipsi ab Episcopo transmissum fuerit etc.* In casu autem proposito ob paritatem rationis haud poterunt excusari Decani foranei, qui cum differant ex una tantum loci consuetudine delationem oleorum usque ad Dominicam in Albis, Parochis dant causam, ut, si interea temporis sit Baptismum administrandum vel moribundus extrema unctione muniendus, veteribus oleis utantur.

In sua quisque Episcopus Dioecesi Regularibus s. oleum prompte et liberaliter tradi curet et faciat. Clem. VIII. in Const.: *Exponi Nobis* etc. die 24. Mart. 1599.

i) Distributor.

Oleum s. debet asservari in Cathedr. et ab ejus Dignitatibus dispensari aliis Ecclesiis. S. R. C. 19. Aug. 1619.

Ad dubium: Utrum Caeremoniarius Cathedralis ratione proprii Officii cogi possit, ut distribuat Feria V. in Coena Domini S. Olea subditis Ecclesiis?